



## **Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales**

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

**Chiericato, Giovanni Maria**

**Augustæ Vindelicorum, 1730**

Decisio CXLIX. Argumentum. Agitur, ex Choreis quot mala proveniant?  
Quibus argumentis sint usuri Parochi contra Choreas.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

DECISIO CXLIX.

ARGUMENTUM.

Agitur, ex Choreis quot mala proveniant?  
Quibus argumentis sint usuri Parochi contra Choreas?

SUMMARIUM.

1. Choreæ undè denominata?
2. Aliæ sunt licitæ, & laudabiles. *Exempla de eis.*
3. Aliæ inhonestæ, & illicitæ. *Exempla hic.*
4. Chorearum damna, & detrimenta tria.
5. Animarum perditio ex Choreis.
6. Peccata multa in Choreis.
7. Chorearum frequentatores pereunt in infernum.
8. Exemplum punitionis mulieris saltatrix.
9. Chorearum ductores à Daemonibus obsessi.
10. E sepultura à diabolo extracti.
11. Verecundia custos castitatis.
12. Halma Hebraicè vocatur Virgo, idest abscondita.
13. Mulierum honestas periclitatur in choreis.
14. Domini non possunt compellere ad Choreas scæminas subditorum.
15. Pudicitia Mulierum quomodo servetur?
16. Mulieres antiquitus à conviviis exclusæ.
17. Habitabant in thalamis à viris separata.
18. Homicidia ex Choreis.
19. Grandines, tempestates: ubi Choreæ, & saltus.
20. Parochi invehant contra Choreas, & saltationes.

**P**ræmittendum: Choreas dici à χορός, idest 1  
multitudine canentium, seu saltantium, nam  
multorum interventu, & concentu fiunt. Vel à  
χορῶ, idest latitiam; institutæ sunt enim ad lætan-  
dum, juxta illud: *Sicut latantium omnium habitatio* 2  
*est in re. Ps. 86. ult.* Sunt autem in duplici differen-  
tia: Aliæ honestæ, quæ instituntur sive ad laudan-  
dum Deum, vel à choro mulierum sine viris, ut  
legitur de Maria sorore Aaron, quæ *Sumpsit tym-*  
*panum in manum suam, egressæque sunt omnes mulieres*  
*post eam cum tympanis, & choris, quibus præcinebat,*  
*dicens: Cantemus Domino, gloriose enim magnifi-*  
*catus est, equum, & ascensorem ejus dejecit in mare.*  
*Exod. 15. 20.* Vel à Choro virorum sine muli-  
eribus, ut fecit David in reductione Arcæ, nam  
*Abiit David, & abduxit Arcam Dei de domo Obed-*  
*edon in Civitatem David cum gaudio; & erant cum*  
*David septem chori 2. Reg. 6. 12.* Sive quæ insti-  
tuuntur ad honestam latitiam ob insignem vi-  
ctoriam, de qua est exemplum 1. Reg. 18. 6.  
*Cum reverteretur percusso Philisthæo David, & ferret*  
*caput ejus in Jerusalem, egressæ sunt mulieres de uni-*  
*versis urbibus Israel, cantantes, chorosque ducentes*  
*in occursum Saul Regis in tympanis latitia, & in sistris.*  
Aliæ autem sunt Choreæ inhonestæ, ad tripudian-  
dum introductæ: quales reperit Moyses descen- 3  
dens de Monte, institutas ab Hebræis in adoratio-  
ne Vituli; *Cum enim appropinquasset ad Castra, vi-*  
*dit Vitulum, & Choros. Exod. 32. 19.* Et qua-  
les agebantur in Silo, quando Filii Benjamin  
rapuerunt ibi de his, quæ ducebant choros uxores sin-  
gulas. *Judic. 21. 23.* Primas permittunt Theo-  
logi, & Moralitæ, non autem secundas, quas  
Sancti Patres semper deſſeverunt, impugnarunt,  
& damnarunt, ut doctè ostendit P. Paulus Seg-  
neri Soc. Jesu in Christiano Inſtructo part. 3.  
ſerm. 29. num. 1. Ex choreis enim tria præci-  
pua mala proveniunt: 1. Animarum perditio: 2. 4

E c

Ho-

5 *Tertium malum est contra legem Divinam:*  
quandoquidem, in his conversationibus amato-  
riis Adolescentium diverſi ſexus, committuntur  
peccata, tum delectationis moroſæ, per inten-  
tionem copulæ carnalis, quæ mortalis culpa re-  
putatur. *Leſſius lib. 4. cap. 3. Bonacina de*  
*Matrim. diſp. 4. punct. 8. tum tactus, & verbo-*  
*rum contra honeſtatem, tum etiam inordinati*  
*amoris, quò magis diligunt Amafiam, vel Ama-*  
*ſium, quam ipſum Deum; & hinc fit, ut adin-*  
*vicem vocentur Idola, ſe dicant non ſolum ama-*  
*re, ſed adorare: prævaricantes illud magnum,*  
*imò maximum, & præcipuum Præceptum: Di-*  
*liges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex*  
*tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex*  
*omni mente tua. Luc. 10. 27. Ceſſant devotio-*  
*nes erga Sanctos, reverentia in Eccleſiis, fre-*  
*quentia Sacramentorum, ac obedientia erga*  
*Parochos, & Confeſſarios, & vivunt omnino*  
*immemores Dei, nihil de ſalute æterna cura-*  
*tes, ſine intellectu, & ſine corde, juxta illud:*  
*Fornicatio, & ebrietas auferunt cor. Oſe. 4. 11.* Et  
non ſolum committuntur peccata cordis, ſed  
in opere complentur majora flagitia, quæ ſunt  
pollutiones, ſupra, maleſicia, homicidia, abor-  
tus, & infanticidia: ut de quadam Vidua Ado-  
leſcentula refert idem Segneri diſt. part. 3. ſerm.  
28. num. 13. quæ capta amore Amafii, inſtans,  
ut eam in uxorem duceret: cum auდიſſet ab ipſo,  
id non eſſe facturum, ne duo filioſi, quos ha-  
bebat eadem vidua, eſſent detrimentum nati-  
turiſ; depoſito amore materno illos occidit, quo  
facinore auditio, Amafius illam abhorruit, quare  
meretricium agens, dum navem ascendit, Con-  
ſtantinopolem verſus à mare fuit abſorpta.

7 *Quò ad Remedia.* Unicum eſſe ſcripſerunt; vi-  
delicet, ut inceſſanter Parochi prædicent con-  
tra hunc abuſum; & concorditer omnes velint  
ob Dei gloriam, & animarum ſalutem extirpa-  
re, & tollere amatorias adoleſcentium ſexus di-  
verſi; ſtudeantque, & diſcant eorum excuſa-  
tiones convincere, & illam præcipue, *Quòd ta-*  
*lis ſit univerſalis conſuetudo:* oſtendentes, eam eſſe  
peccaminofam, contra Divina Præcepta, &  
per conſequens deſerendam; vel *Quòd neceſſaria*  
*ſit pro nuptiis ineundis,* demonſtrantes, quò imò  
ad bene nubendum, opus ſit ſolitudine, mode-  
ſtia, Dei auxilio, orationibus, obedientia erga  
Parentes, & eorum gubernio, ac conſilio, di-  
cente Scriptura: *Mulier bona dabitur Viro pro ſa-*  
*ctis bonis. Eccleſ. 26. 3.* atque alias rationes, mo-  
tiva, & argumenta deſumentes ex duobus inte-  
gris ſermonibus contra has pravas amatorias  
conſuetudines ſcriptis piè, ac doctè ab eodem  
P. Paulo Segneri in Chriſtiano. Inſtruct. d. p. 3.  
diſc. 27. & 28. per animarum Paſtores neceſſa-  
rio videndis, reaſſumendo etiam lectionem Ca-  
ſuum Prudentialium, quibus ſtuduerunt ſuper  
hoc abuſu, de quo ſuprà diſc. 22. num. 12. &  
diſc. 138. & à doctoribus obſerventur, & le-  
gantur Tuillius ſuper Emblem. Alciati 22. num. 111.  
Clypeus Patientiæ Jacobi Coren. l. 2. cap. 19.  
Cauſlinus in Aula Sancta lib. 2. obſt. 9. Jul.  
Mazarin. ſuper Ps. 50. diſc. 4. quos allegat, &  
adhibet inter doctos doctiſſimus noſter Jaco-  
bus Pluvenc Archipreſbyter Fonzaſii, Vicarius  
Foraneus in ſuis reſponſis, quibus addatur Mar-  
tinus Fornarius Inſt. Confeſſarior. tract. 3. cap. 11.  
& Polyantha in Verb. Amor Veneris.

Doct. Clericali Tom. II, Lib. IX.

Honestatis naufragium; 3. Bonorum temporalium amissio. Probantur.

- Animarum perditio est primum malum ex Choreis resultans; testante S. Augustino in illis Verbis: *Christiani ad Ecclesiam veniunt, Pagani de Ecclesia revertuntur*, scilicet, ob choreas. *serm. 115. de Temp.* Et Sancto Ephrem, dicente: *Ubi Cithara, & Choreas, ibi virorum tenebra, mulierum perditio, Angelorum tristitia, Diaboli festum. De Ludis Christianis fugien.* Rationes sunt multae, quas congerit Cornel. à Lapide in *cap. 15. Exod.* sed illa principalis, quam adducit Gerson. *serm. 2. contra Luxur.* Ob fragilitatem humanam difficulter fiunt choreas sine diversis peccatis; & omnia peccata chorizant in Choreas. Ubi igitur sunt peccata, ibi est Animarum perditio. Quod autem sint peccata in Choreis, patet, quia aperti sunt sensus oculorum, aurium, oris, & tactus, per quos intrant in corda turpes cogitationes, & desideria luxuriosa. Diluvium refertur ad peccata oculorum. *Videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchrae. Gen. 6. 2.* Sonus musicus Magis animum movet ad delectationem. S. Thom. 1. 2. *quast. 91. art. 2. ad 4.* Et subdit Doctor maximus S. Hieronym. in *Elvid.* *Ubi tympana sonant, tibia clamitat, lyra garrit, quis ibi Dei timor? Cibi, & locutiones provocant ad peccatum, ut in populo Israelitico, Qui sedit manducare, & bibere, & surrexerunt ludere. Exod. 23.* Tactus autem manuum quam perniciosus? *Qui tenet eam, idest foeminam, quasi qui apprehendit scorpionem. Eccles. 26.* Et praedictus Sanctus Hieronym. in *Vita S. Hilari.* *Tactum, & jocos peritura Virginitatis principia.* Quod si in Templis audientes Dei Verbum vel sacrificium adorantes, atque mulierem transeuntem videntes, suggestionis malis turbantur; tot, tantique Eremitae, in desertis locis, induti asperimis ciliciis, macerati flagellis, & jejuniis, carnales tentationes vincere non potuerunt; quid credendum de illis, quibus omnis est libertas cum mulieribus, in saltationibus & Choreis? Non sine causa dicebat Job: *Pepigi sedus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine. Job. 31. 1.* Igitur negari non potest, in Choreis multiplicia committi peccata, & plurimos esse Chorearum frequentatores, qui *Gaudent ad sonitum Organi, ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Job. 21. 12.* quos desinet Sanct. Augst. exclamans. *O quam miseranda conditio! Ubi citò praeterit, quod delectat, & sine fine manet, quod cruciat.* Legatur exemplum Religiosi orantis, ut sibi manifestaretur, in quo magis Juventus Christiana peccaret? Et raptò in spiritu fuit ei ostensus Chorus saltantium, qui Crucifixum percutiebant, circumeundo, & saltando: ex quo didicit, saltationes, & Choreas esse praecipuas causas perditionis animarum. P. Segneri *d. part. 3. serm. 29. num. 13.* Christiani Instru-cti.

Hinc aliud exemplum, quod ex Thomae Cantipraten. *lib. 2. cap. 9.* narrat Bagatta in *Adm. Orb. Christ. tom. 2. lib. 6. cap. 1. §. 3. num. 16.* fuisse scilicet mulierem procacem, & vanam, quae omni festo die Choreas conjugere consueverat, & accidentali baculi percussione, elapsi è manu cujusdam Juvenis, dum choream duceret, & saltaret, offensa in capite, statim obiit. Cumque die crastino ad Ecclesiam pro sepultura deferretur, Taurus nigerrimus, imò Dæmon

pestimus, cum mugitu accurrens, feretrum cum corpore dejecit in terram, cornibusque membratim confodit, itaut visceribus hinc inde dispersis, foetor intolerabilis spargeretur.

Praedicante Sancto Eligio, & Chorearum abusum detestante, impetum fecerunt plurimi Chorearum ductores contra illum; quos tamen Dæmones invaserunt, & per annum cruciavere, donec per orationem ejusdem Sancti liberati fuerint. Surlus in *ejus Vita die 1. Decembr.*

Citharæ pullator, & Chorearum Magister, cum totam diem, duce ejus Cithara, in Choreas, consummasset, vespere, obnubilato caelo, fuit à fulmine percussus, & necatus; quem delatum ad Ecclesiasticam sepulturam nolebat Parochus admittere, sed vi parentum in Cœmeterio Sacro sepelivit. At die crastina, visa est aperta sepultura sine cadavere, quod Dæmones asportarunt. *Matthæol. in Sylva Hist. part. 2. lib. 7. cap. 1. tit. 5.* ubi alia exempla.

Honestatis naufragium est alterum, praecipuumque malum ex Choreis proveniens. Pro conservanda mulierum honestate, eas natura ditavit, & dotavit *Verecundia*; hæc enim est custos maxima castitatis, juxta Angelici Doctoris sententiam. 2. 2. *quast. 144. art. 1. & 2.* & S. Gregorii Nysseni *Hom. 3. in Eccles.* Nec non S. Joannis Climaci, qui sic notavit *Grad. 14.* *Ligavit Deus concupiscentiam mulieris frano verecundia, aliter non fieret salva omnis caro.* Hinc etiam Propertius Poeta cecinit.

*Quam peccare puder, tuta sat est.*

Uterius naturali lumine omnes gentes cognoverunt, foeminas, ob fragilitatem sexus, solitudinem esse obligandas; & in Hebraica lingua Virgo vocatur *Halma*, idest *Abfcondita*: decet enim, mulieres absconditas esse à virorum conspectibus, quod rigorose servabant Hebraei etiam in Templo. *Joseph de Bello Judaic. lib. 6. cap. 6.* & servant Turcae, & Chineses, atque barbarae nationes, nec earum pudicitia periclitetur, scientes, quòd *Ubi non est sepes, diripiatur possessio. Eccles. 36. 27.* Porro quis nesciat, in Choreis solitudinis lege soluta, verecundiam quoque mulierum fugari? Quomodo ergo honestatem servabunt? Audiatur Franc. Petrarcha de *Choreis Dialog. 24.* sic discurrens: *Non tam ibi delectatio praesens est, quam sperata delectationis auspiciam: Veneris praesidium illud quidem, sono stupidas, ac misellas circumducere, atque urgere, & fringere, ac specie Urbanitatis atterere: libera ibi manus, liberi oculi, libera volant voces, pedum strepitus, & multorum cantus dissoni, & tubarum clangor, conversatio, & pulvis, & qua saepe ludis additur hostis pudicitia, & amica scelerum nox ipsa. Hac sunt, qua timerem, ac pudorem pellunt, hi sunt libidinum stimuli, hac laxamenta licentia.* Hinc est notatu dignum, quod scribit Philippus Decius in *Reg. Semper in contractibus. de Reg. Jur. videlicet Jus honestatis esse exemplum ab omni reverentia ex Baldo in L. Quod ex libera. Cod. de oper. libert. & ideo à Dominis subditos compelli non posse, ut eorum mulieres vadant ad tripudia, & ad Choreas. Confert illud Alciati Emblemata; Custodiendas Virgines; quòd commentatur Tuilius cum carmine:*

*Post visum, alloquium, tactum, post oscula factum,*

Cho-

Choreæ id efficiunt in mulieribus, quod Salamandra in Arboribus, quas tangit, scilicet veneno statim inficit & plantas, & fructus teste Plin. lib. 29. cap. 4. Quapropter ait Divinum Oraculum. *Filia Patris abscondita est, vigilia, & sollicitudo ejus aufert somnum; ne forte in adolescentia sua adultera efficiatur, & cum viro commorata odibilis fiat; ne quando polluat in Virginitate sua, & in paternis suis gravida inveniat. Eccles. 42. 9.*  
 15 Et viris optimis semper visum est necessarium ad mulierum servandam pudicitiam, eas non interesse confortiis hominum. Tholofanus *Syntagm.*  
 16 *Jur. Univers. lib. 47. cap. 11. num. 13.* Hinc mulieres non admittebantur ad convivia, ut legentibus patet, in cœna Belzaris. *Dan. 5.* in Conviviis Ahasveri *Esther. 1.* & in cœna Herodis. *Marc. 6.* & apud Ciceronem *Orat. 2. contra C. Verrem*, in qua narrat, quendam Rubrium hospitatum à Philodamo petiisse, ut advocaret ad mensam ejus filiam, quod omnino hospes recusavit, quia talis mos erat. Imò apud antiquos thalami mulierum separati erant ab hominum confortio. Rebecca enim ducta ad maritum recepta fuit in tabernaculum Saræ. *Genes. 24. 67.* Et pudicissima Judith, in superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur. *Judith. 8. 5.* & scribens Philo Hebr. contra Flaccum dixit: *Mulieres conclusæ, nunquam è conclavi egredi solitæ, & Virgines in thalamis suis habitantes, & pra pudore declinantes aspectum etiam maximè familiarium.* Menochius in *Oeconom. lib. 5. c. 7. num. 4.* Quibus ad stipulatur *Psal. 127. 3.* *Uxor tua sicut Vitis abundans in lateribus domus tuæ.* Igitur Choreæ, & saltationes, destruentes has omnes cautelas pro mulierum pudicitia servanda, continuatis temporibus servatæ honestatis causant naufragium.

Bonorum Temporalium amissio est Tertium  
 18 principale malum, proveniens à Choreis; tum quia in eis vita frequenter perditur, ob rixas, vulnera, & homicidia, zelotypiæ causa: tum etiam quia in earum vindictam, & punitionem, præcipue ob violationem Festivitatum Sanctorum, Deus mittit tempestates, fulmina, & grandines, quæ plantas, & fructus terræ dissipant. Propter peccata veniunt adversa: quia *Propter iniquitatem corripisti hominem. Psal. 38. 12.* Quando videntur Delphini super aquas saltantes, vicina est maxima tempestas. P. Segneri in Christian. *Instructo d. serm. 29. num. 16.* Et quando in Villis fiunt Choreæ, & saltationes, expectetur devastatio frugum, vitium, & arborum. *Pro eo quod plausisti manu, & percussisti pede, & gavisus es ex toto affectu, idcirco extendam manum meam super te. Ezech. 25.* Legatur exemplum in Diœcesi Colonienfi sequutum tremendæ grandinis, omnes plantas auferentis, ob saltationes contra voluntatem Parochi frequentatas. *Matthæol. d. pag. 2. l. 7. cap. 1. tit. 5. exempl. 5. in Sylva Historiali.*

Quoad Secundum. Argumenta, quibus erit  
 20 utendum à Parochis, pro eliminandis Choreis, & saltationibus, erunt mala prædicta, si frequenter, cum zelo, & spiritu illa plebibus prædicabunt, cum exemplis & autoritatibus præ-narratis; & in confessionibus suadere studebunt tum puellis, tum Adolescentibus eadem mala, ut ab eis abstineant. Præcipue monere  
*Doct. Clericali Tom. II. Lib. IX.*

debeant Patres, & Matres familias, ne permittant filios, & filias accedere ad Choreas, sunt enim rationem Deo reddituri de mala custodia natorum, quos à Deo obtinuerunt, tanquam pignora deposita, ut custodiantur. Proderit diebus festis, post decantatas Vesperas, sermonem habere ad populum, exponere Venerabile Sacramentum Altaris per aliquod temporis spatium, recitare Rosarium, orare pro Defunctis, sic enim fidelis populus amplectendo quæ Dei sunt, derelinquet, quæ sunt Diaboli, Choreas scilicet, & saltationes, ut docuimus etiam supra *decis. 4. num. 9.* nec non *decis. 18. num. 6.* in casibus Prudentialibus illarum Decisionum.

DECISIO CL.  
 ARGUMENTUM.

Ostenditur: Quam grave peccatum sit Blasphemia? & quibus argumentis retrahendi sint homines ab hoc delicto?

SUMMARIUM.

1. Blasphemia nomen à quo verbo derivetur? & quid sit?
2. Blasphemia committitur ore dupliciter.
3. Blasphemia duplex hæreticalis, & simplex.
4. Blasphemia gravissimum peccatum.
5. Deus offenditur immediatè à blasphemis.
6. Homo puredo, & vermis.
7. Christiani hominis excellentia.
8. Lingua prior cæteris membris sacratur Sale benedicto in Baptismate.
9. Lingua blasphemia ignis comburens.
10. Malus habitus blasphemandi non excusat à peccato.
11. Blasphemantium excusationes frivola.
12. Argumenta ad coercendos blasphemos.
13. Damnationis signum blasphemia.
14. Insania ex blasphemia.
15. Delectatio nulla ex blasphemia.
16. Judæis peiores, qui blasphemant.
17. Diabolo peiores blasphemæ.
18. Blasphemorum penitentia antiqua.
19. Lingua abscessio, & pena mortis blasphemæ, ad alia.
20. Lapidatio ex lege Divina.
21. Exempla blasphemorum à Deo punitorum & num. 24.
22. Pestilentia, terra motus, & famës ob blasphemias.
23. S. Philippi Renitii ultio præannunciata in blasphemos.
25. DEIPARAM hæreticus blasphemans, quomodo punitus?
26. Hæretica parvitur sculas, dum blasphemat.
27. Usurarii blasphemæ ultio.
28. S. Malachias à blasphemæ irrisus, sed iste punitus.
29. Blasphemus in S. Amandum à demone occiditur.
30. Penitentia voluntaria sumenda à blasphemis.

Præmiserunt primò: Blasphemiam esse græcam vocem, compositam ex Verbo *βλάπτω* quod significat *lædo*. et nomine *φῆμι* quod est *fama*, unde *βλασφημία* est *famam lædo*; & idèò Blasphemia est Verbum contumeliosum, quo quis derogat, & conviciatur Divina Excellentia: quamvis enim etiam solo corde vel factò quis possit blasphemare; verè, & propriè blasphemia ore, & verbis committitur.